



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1677.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

erant, Pro loco conventū electum Neo-magum ad Vahalium.

Viennæ diem extremum obiit Claudia Felicitas secunda Cæsaris Leopoldi con-junx, qui cum prole masculâ hactenus de-stitueretur , ad tertia vota hoc ipso anno transit cum Magdalena Teresia , Palatini Neoburgensis filia , ejus, qui in Electoratu defuncto Carolo Rheni Palatino successit.

ANNUUS 1677.

Hoc anno Pontifex Innocentius, ut radi-cem præcidcret homicidiis , aliisque malis innumeris, solenni & severo edicto su-stulit immunitatem districtuum . quos cir-ca palatia hactenus describere solebant O-ratores Regum & Principum, & in quibus prætendebant jus asyli omnibus eò confu-gientibus sacrum & inviolabile. Acriter etiam restitit Oratoribus Hispano & Gallico, quod contempta sua autoritate, quam Ro-mæ volebat omnino servari indemnum , non desisterent in urbe conscribere milites & rapere ad signa etiam invitatos,

In Belgio Galli vix dum mitescente non nihil hyeme asperiore Valencenas, Urbem Hannoniæ maximam aggrediuntur, & præ-festinâ ditione in potestatem redigunt.

G 3

Præ-

Præcipitavit deditio[n]em infelix eruptio
obsessorum; dum enim malè accepti foris
trepidè ad suos refugiunt, insimul obsiden-
tes, qui instabant tergis fugientium, in ui-
be[m] recipiunt, ægrè incolumentem vitæ &
fortunarum à victore Ludovico deprecati.

Carolus Dux Lotharrngiæ cum numero,
so exercitu invadit Lotharingiam penetra-
turus haud dubiè in ipsas Gallias, & magna
molitus, nisi ob varias easque prægnantes
causas, quas objecerant, qui adversabantur
felicitati publicæ, coactus fuisset viam rele-
gere, & exercitum reducere in hyberna quæ
vix subierat, Galli improvisa obsidione Fri-
burgum, Tractūs Briscoviensis urbe[m] pri-
mariam adoriuntur, & festinatis impressio-
nib[us] intra tempus breve deditio[n]e capiunt.

In Hispania exauthorato Marchione Vil-
laferensi vocatus ad præcipuas regni curas
Joannes Austriacus, cuius suasu Rex Caro-
lus more Antecessorum perrexit in Arrago-
niam, ubi incredibili populorum gratula-
tione exceptus fuit. Funestavit commune
gāudiū sœva lues per totam Hispaniam latè
graſſata, cui sanandæ vix anno vertente in-
ventum remedium, expressus scilicet succus
ex malis limoniis.

sum

¶ C

Denuo

Denuo Oranum in ora Africæ obsecdere
Barbari, sed internecina eruptione disjecti à
Gubernatore turpi fuga se subducere com-
pulsi fuerunt.

In Septentrione mutuis se cladibus con-
ficiunt Sueci & Dani, horumque fœderati.
Malmoa & Insula Rügia cessit Danis, Bran-
deburgo Stettinum, postquam ea omnia sin-
gulari obstinatæ fidei exemplo passum es-
set, quæ in longa integri ferè anni obsidio-
ne ferre solent obseSSI; Suecis felix fuit pu-
gna, qua ceciderunt bis mille & quingentos
Danos fugatis reliquis, quos vix Rex Chri-
stianus Landiscronium reducere potuit.

Eodem eventu, quo anno priore Traiectū,
obseSSum fuit hoc anno Caroloregium à
Principe Auriaco; utriusque enim obsidio-
nem solvere coactus fuit cum magna mili-
tum, majore famæ & existimationis jactura.

ANNVS 1678.

R Omæ videndum se præbuit Regis &
Reipublicæ Polonorum Orator Prin-
ceps Radzivilius insigni planè numerosi &
splendidi comitatūs pompa spectabilis. Ha-
buit eodem anno sibi obsequentes In-
nocentius suarum Provinciarum nomine
Episcopos Græcos & Armenos; attentissi-